

B. 25:

NATALEM LVI
 SERENISSIMI POTENTISSIMIQUE PRINCIPIS
 AC DOMINI DOMINI
GEORGII

MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIAE ET
 HIBERNIAE REGIS
 DVCIS BRVNSVICENSIS ET LVNEBVRGENSIS
 S. ROMANI IMPERII ELECTORIS ATQVE ARCHI-
 THESAVARII
 REGIS ET DOMINI MVLTO INDVLGENTISSIMI
 RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
 SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO DOMINO
CAROLO

PRINCIPE BORVSSIÆ MARCHIONE BRANDENBVR-
 BVRGICO DVCE MAGDEBVRGI CLIVIÆ IVLIACI MON-
 TIVM STETINI POMERANIAE CASSYBIORVM
 VINIDORVM CETERA

DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO
 PERILLVSTRIS IVVENIS
CAROLVS LVDOLPHVS
 LIBER BARO DE DANCKELMAN

ET PRANGIN
 V. KALENDAS IVNIAS
 DEMISSISSIME GRATVLABVNDVS CELEBRABIT
 AD QVOD SOLENNE OFFICIVM
 OFFICIOSE ET PERHUMANITER
 INVITAT
 ACADEMIÆ PRO-RECTOR
IOANNES SPERLETTE
 POTENTISSIMI BORVSSIÆ REGIS CONSILARIUS COLONIÆ
 GALLICÆ DIRECTOR ET PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ PROFESSOR
 ORDINARIVS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,
 Litteris CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.



Era gloria, quæ virtutum maximarum fulcris innititur, non unius ciuitatis, prouinciae ac regni finibus continetur; sed omnes, qui vsquam viuunt spirantque, & aliquid de earum splendore resciscunt, in admirationem cum insigni veneratione nunquam non coniunctam lubentes rapit. Hoc Serenissimatusque Potentissimi MAGNÆ BRITANNIÆ FRANCIAE ET HIBERNIÆ REGIS GEORGII Plantagenetarum, Stuartorum Welforumque augusto sanguine coerti, atque ELECTORIS Brunsuicensis ac Luneburgensis undequaque eminentissimi, Domini longe indulgentissimi prægloriosum exemplum vniuersis atque singulis perluculenter ostendit. Suspicit Britannia æquitatis insignia documenta: colit Germania fortitudinem, iustitiam, probitatem, mansuetudinem, beneficentiam potentissimi PRINCIPIS: stupet orbis illam altissimam mentis vim, quam nec præcepis ambitio, nec effrenata dominandi lubido, nec infinita pecuniae cupiditas in transuersum abstrahit: stupet FRIDERICIANA propensissimum in litteras studioflosque homines fauorem: cogitat ea connubialia cum BO-
RVS-

GALLICE DIRECTOR ET LIBRARIUS AEGIDII MAGDEBVRGII

I. iste est CHRISTIANI HENRICI, AEGIDI THERPES.

PROGRAMMA.

RVSSIÆ REGIBVS fœdera: cogitat amicitiæ arctissimam; ac boni denique omnes incredibili ad immortales tanti HEROIS laudes prædicandas ardore atque studio incensi signata & pietatis plenissima vota offerunt. Eo ipso autem cernitur, nihil esse apud populum quoque virtute illustrius, nihil prudentiæ, constantiæ ac singularis clementiæ opinione præstantius, nihil grauitate atque in Rempublicam meritis ad omne decus consequendum excellentius. Etsi enim non omnis multitudo statim reæta Principum studia eorumque excelsa facta perspicit; tamen ea se ad claros spectatosque homines adiungit; eorumque testimoniis plausus suos adiicit, ut sapientum virorum præconia magnificentiora quadantenus efficiantur. Nam qui in communi omnium rerum perturbatione, in rebus desperatis, cum ad puluinaria omnes configiunt ac supplicationes decernunt, velut ex machina opportune adueniunt, illi tanquam à Deo missi diuinisque copiis instructi merito considerantur, & veluti salutaria sidera orbi illucentia signum sperandæ faustitatis trepidantibus ostendunt. Quis vero non trepidauit, cum mors pulsaret ANNÆ

PROGRAMMA.

præpotentissimæ regalem sedem? quis, EA amissa, non circumspexit noui roboris præsidium? quis in GEORGII virtute ac sapientia non collocauit fiduciam? quis non extulit luctu fatigatum caput, cum BRITANNOS certare amore, affectu, fide in nouum REGEM animaduerteret? cum transfretare augustum ELECTOREM audiret? cum pleno ab omnibus ore laudari, experti consilio, diligi communis consensu obseruaret? Tanta sane est veritatis vis, tantum virtutis lumen, tanta elegantiae consensio, ut caligo & luctus ab omnium oculis fugiat, si tot se se bona in animos oculosque subiectorum ingerant, atque hi vicissim Dominum suum lenitatis, ac regiae prudentiae insignibus ornatum in perpetua laudis atque imperii possessione stabiliant. Cuius lætitiae communio vti ad vniuersum Europæ orbem; ita ad Germaniam, patriam nobis semper charissimam, pertinet, & ipsum IMPERATOREM summosque Imperii PRINCIPES inque primis Serenissimum Borussiæ REGEM, generum magni REGIS, Dominum nostrum longe clementissimum contingit: quorum omnium gaudiis Musæ Fridericianæ suas quoque accla-

ma-

PROGRAMMA.

mationes haud immerito addunt, & amœno
concentu augent, multisque modis amplifi-
cant. Et harum partes, cum perillustris ma-
gnæque spei IVVENIS CAROLVS LVDOLPHVS
Libér Baro DE DANKELMAN & PRANGIN
illusterrissimi PARENTIS dignissimus FILIVS tum
suo, tum Academiæ nostræ nomine in se sus-
cipere cogitaret; eo maxime die illas sibi sub-
eundas iudicauit, quo Serenissimi ac Potentissi-
mi REGIS GEORGII natalem LVI. tot
nationes ac populi grata mente recolunt, &
tantæ felicitatis atque elegantiæ memores fin-
cerissima vota litant, ac pro incolumentate
Principis Deo orbique dilecti preces ardentissimas
ad cœlum emittunt. Non est nostrum,
occupare ORATORIS limatissimi prædicatio-
nes: ibit is per omnia ætatis, quam fortunato
cursu, transegit PRINCEPS optimus, stadia,
virtutum venustissimarum exemplis distincta,
sapientiæ ac fortitudinis ornamenti locuple-
tata. Quidquid in Eduardis magnificum, quid-
quid in Richardis gloriosum, quidquid in Hen-
ricis prægrande, quidquid in Wilhelmis singu-
lare, quidquid denique in Welphis eminens
atque pulcrum, in yno, quem omnes venera-
mur,

PROGRAMMA.

mur, GEORGIO Europæ libertatis SERVATORE enitebit.

Tantum precamur illustrissimum PARENTEM, Regiminis, quod est in Ducatu Magdeburgico, PRÆSIDEM grauissimum, Dominum Musis nostris semper benignum, ut sacris, in quibus FILIVS in spem patriæ familiæque nobilissimæ succrescens vota ore disertissimo præbit, posthabitis aliis negotiis, benevole interfit, eoque præsentia sua cum aliis, qui hic viuunt, variorum collegiorum CONSILIARIIS excellentissimis augustiora quodammodo efficiat. Quorum exemplum ut illustrissimi COMITES, BARONES itidem veterima prosapia florentes, IVVENES nobilitate generis præcellentibus, CONSULES, SENATORES, MYSTÆ, DOCTORES, CIVES crastina luce hora X. prompte imitentur obnixe atque officiose rogamus. Dignus est REX inclytus, cui, Europæ bono, faueant Numina, militet æther, & coniurati ad classica venti veniant: dignus ELECTOR PRINCEPS, qui æternum perennet, & Europæ libertatem, suis otium, hostibus terrorem procuret.

P. P. Halæ Magdeburgicæ vi. Kalendas Iunias cccc xvi.



ODE.



Vem summo posuit culmine glo-
riæ,
Insignem diademate,
Aurato rutilum fronte GEORGIVM
Æterni bonitas Dei,
Vt sceptro Britones, ac moderamine,
Bellaces Caledonios,
Hibernosque suo duceret asperos,
Et cani maris accolas;
Hunc REGEM meritis laudibus euehis,
DANCKELMANNE, GEORGIVM,
Facundoque styli flumine conficis,
Hunc REGEM Diademati Adie-

Olli

Adiecissee decus, non Diadema

Accepisse suum decus

Cunctis marmoribus longe perennius.

Audax Iapeti genus,

Cui nil difficile est, nil nimis arduum,

Fertur per vetitum nefas,

Et regnum variis artibus impetit.

Occulsiis Louis auribus,

Perfringunt Stygiæ septa Proserpinæ :

Quod si blanditiæ, dolî,

Nil prodeesse velint; toxica regiis

Miscentur tetra vasculis.

Mortes, insidiæ, supplicium, fuga,

Vis, ac fæua necessitas,

Enses innumeri, tela nocentia,

Et districtus acinaces

Circumstant solium Regis, & irruunt;

Intentamque Tyrannidem,

Quam condit pietas, texit hypocritis,

Regis vestibus induunt.

O Fati

O Fati miseri fors lacrymabilis!
Cum sunt regna Neronibus,
Insanisque breui subdita Commodis,
Monstrisue Heliogabalis.
Pestis, bella, fames, dira pericula,
Non sic interitum carent
Humano generi, quam cito barbarus
Rex multis regionibus.
Collætare TVO REGE GEORGIO,
Gaude Magna Britannia!
Qui dum Saxonica natus origine
Antiquum repetit decus,
Anglos ad veterem dicit originem,
Ac virtutibus efficit, —
Ut tantum anteeat MAGNA BRITANNIA
Externis ditionibus,
Quantum, qui medio vertice fidera
Tangit, collibus Imaus;
Aut quantum exiguis Caucasus imminet
Immenso tumulis iugo.

Inui-

Inuicto integritas, vita GEORGIO,
REGI vita GEORGIO!
Quam non tollat edax tempus, & inuidæ
Parcæ non resecet manus.
Etatemque valens innumerabilis
Annorum serie trahat;
Ut sera aspiciat germina stemmatis,
Florentemque Britanniam,
Laudatus populis diuitis Indi
Vi, virtute, potentia,
Occultis & Afri, & fitientibus
Mauris, ac trucibus Getis.

JOHANNES PHILIPPVS HEINIVS PROF.

Composit



Gb 1633.

4°

ULB Halle
001 611 763

3



St

27.

NATALEM LVI
SERENISSIMI POTENTISSIMI QVE PRINCIPIS
AC DOMINI DOMINI
GEORGII
MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIAE ET
HIBERNIAE REGIS
DVCIS BRVNSVICENSIS ET LVNEBVRGENSIS
S. ROMANI IMPERII ELECTORIS ATQVE ARCHI-
THESAVRARI
REGIS ET DOMINI MVLTO INDVLGENTISSIMI
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO DOMINO
CAROLO
PRINCIPÆ BORVSSIAE MARCHIONE BRANDENBVR-
BVRGICO DVCE MAGDEBVRGI CLIVÆ IULIACI MON-
TIVM STETINI POMERANIAE CASSVBIORVM
VINIDORVM CETERA
DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO
PERILLVSTRIS IVVENIS
CAROLVS LVDOLPHVS
LIBER BARO DE DANCKELMAN
ET PRANGIN
V. KALENDAS IVNIAS
DEMISSISSIME GRATVLABUNDVS CELEBRABIT
AD QVOD SOLENNE OFFICIVM
OFFICIOSE ET PERHVMANITER
INVITAT
ACADEMIÆ PRO-RECTOR
JOANNES SPERLETTE
POTENTISSIMI BORVSSIAE REGIS CONSILIARIVS COLONIAE
GALICÆ DIRECTOR ET PHILOSOPHIAE PRACTICÆ PROFESSOR
ORDINARIVS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,
 Litteris CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

